

V c
4100



339



335, 41.



LVCII DE MONTE WOLFFEN

DISCVRSVS

an pro religione iustum bellum

ferri possit

1631





DISCURSUS.

THEOLOGICO-HISTORICO-POLITICUS:

Continens

Difficilimam & aliàs multò sanguine
notatam quæstionem

AN PRO RELI-
GIONE IVSTVM
POSSIT GERI
BELLVM,

A

Pacis, justitiæ ac veritatis Amatore

LUCIO DE MONTE WOL-
GERATENSI conscriptus

ESAIAS C. 30.

*Non in armis, nec in equis, sed in silentio & spe For-
titudine vestra.*



ANNO M, DC, XXXI.



Nulla salus bello, pacem te po-
scimus omnes.

O Divina & humana majestas.



DIS-





DISCURSUS THEO- LOGICO-HISTORICO- POLITICVS.

An pro Religione justum
possit geri bellum?



*Eus omnipotentissimus ut bonitatem suam com-
municaret, creavit hominem, hominisq; causa
aërem, terram & aquam, & omnia, quæ in iis
sunt, vivunt & moventur. Homini dedit Cor-
pus & animam; Animam sapientissimam, per-
fectissimam & divinitati simillimam. Corpus
sanum, pulchrum, validum. Et quamvis per inobædientiam lapsus
pleraq; imaginis divinæ dona amissa fuerint, ex singulari tamen
gratia scintillula quædam ejusdem permanserunt, adeo ut infinitam
DEI misericordiam in reparando & restituendo genus humanum
satis mirari non possimus. Quis enim est, qui filium unigenitum
pro hostibus liberandis moriendum præbuerit, sicut DEUS præbuit?
quis est, qui injuriam tam æquo animo ferat, & resipiscenti tam fa-
cile ignoscat, sicut DEUS ignoscit? quis est deniq; qui vitam nobis
dedit, eam conservat, alit vestit, tuetur? DEUS est laudandus in
secula. Pro tanto DEI amore tam inaudita inusitataq; clementia,
tam ineffabili ejus bonitate quid reponemus? Nam pro beneficio
debetur officium. Colamus Deum, qui tam benè nobis fecit. Co-*

A 2

lamus



lamus benefactorem nostrum, animo, lingua, factis, animo, ut grata mente recognoscamus, omnia, quæ possidemus bona, ab eo nos accepisse; Linguâ, ut immensam ejus bonitatem & laudes prædicemus; Factis, ut ei nos totos reddamus, subjiciamus, serviamus. Qualis internus & externus, verbis & ritibus declaratus, cultus dicitur RELIGIO, inde denominata quod ad cultum justum præstandum omnes homines ligentur & obligentur, idq; jure gentium primævo, omnium hominum mentibus innato, sicut Ictus Pomponius, quamvis Ethnicus in l. 2. ff. de J. J. ingenuè fatetur. Pro hac erga DEUM religione an justum geri possit bellum? hic queritur. Res sanè est magni momenti, questio ardua & non unius fori? Habet enim ibi Theologus quod dicat, habet & politicus; habeo & ego nimirum ut fatear, materia difficultatem, & judicij imbecillitatem: Attamen aliquid dicendum est, quod cum facio Lectores omnium Ordinum laudatissimi, favete quaeso animis & ignoscite, si de re ardua non docendo, sed proponendo, non tamen meo, quàm aliorum judicio breviter & leviter dicam.

Sicuti hostes sunt multiplices, milites varij: Sic diversa quoq; hic poni possunt bellorum & conflictuum genera. Sunt hostes spirituales, hostes forenses, hostes castrenses: Sic quoq; milites quidam spirituales, quidam forenses, quidam castrenses dici poterunt: Sic quoq; bella & conflictus.

Hostes spirituales sunt Diabolus, mundus & caro nostra; ille supra nos, iste circa nos, hæc in nobis, hostiles faciunt insultus & invasiones. Ille rugit ut leo, iste insidiatur, ut vulpes, hæc ablanditur, ut canis, qui postea mordet. Contra Hostes hosce spirituales pro religione & fide permissum, imo commissum est, militare, bellare, pugnare. Hic qui securus est, opprimitur, qui otiosus fit calamitosus. Arma verò in militia spirituali debent esse proportionabilia, non ferrum, non plumbum, non nitrum, sed verbum,

bum, preces, fides. Verbo DEI Christus Diabolum in deserto abegit; preces & lachrymae sunt arma Ecclesiae; Qui credit in Christum, mundum superavit. Et sic bona militia militanda, ut retineatur fides & bona conscientia.

A spiritualibus militibus, quales sunt omnes Christiani, procedo ad milites forenses, quales sunt advocati & patroni causarum, qui gloriosa vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & posteros defendunt, & non minus provident humano generi, quam si praeliis & vulneribus patriam parentesq; salvarent. Advocati verò in foro hic Ecclesiastico, ubi pro religione pugnandum, imprimis sunt fideles ministri verbi, doctores scripturae & pastores Ecclesiae, qui lupo rapaci resistunt, & in ecclesia hac militanti gregem caelestem contra insultus haereticorum tanquam insensissimorum hostium defendunt. Arma hic sunt, non ira non calumnia, non sapientia mundana; sed mansuetudo veritas, verbum caeleste. Veritas ex verbo divino sumi, & mansueto Spiritu proponi & audiri debet. Hic si odium, rixa, privati affectus accedunt, animi magis irritantur, quam vincuntur, ac edificantur. Antichristus spiritu oris conficietur. Verbi ergò predicatio in suggesto, controversiarum disputatio in Concilio ac cathedra & adversariorum refutatio in scriptis facta, hic multum juvabunt. Ita ut ubiq; humilitas, humanitas, modestia, patientia concurrant, commisceantur & concomitentur,

Unde Paulus 3. Corinth. 10. Ich Paulus vermähne euch durch die Sanftmütigkeit vnd Gelindigkeit Christi/ ob wir wol im Fleisch wandeln/ streiten wir doch nicht fleischlicher Weise. Denn die Waffen vnser Ritterschafft seyn nicht fleischlich/ sondern mächtig für Gott/ zu verstoren die Anschläge vnd alle Höhe/ die sich erhebt wider das Erkänntnuß Gottes. Atqui hoc modo iterum permissum, imò commissum est

pro religione conservanda & propaganda militare, bellare, pugnare. Ita verbo & patientia pugnavit CHRISTUS contra Pharisaeos & scribas; idem fecerunt Apostoli, idem Patres in primitiva Ecclesia. Idem Gustavus Rex Sueciae, qui ex Regni ordinum consensu, inter Doctores Lutheranae & Romanae Ecclesiae, de principis Christianae fidei articulis disputationem, cui ipse praesedit, instituit. Idem Elisabetha Regina Angliae. Idem tentarunt Germani in Concilio Tridentino, sed non omnes pari ordine nec pari successu. Ad castra jam armata progredior, atqui hic labor, hic onus, hic forum, hic salta! hic imprimis quaeritur, num pro religione propaganda & propugnanda armis, vi atq; manu militandum? sunt qui affirmant, sunt qui negant, sunt qui distinguunt. Affirmat Antiochus Rex Syriae; affirmat Nebucadnezar, Rex Babylo-niae; affirmat Mahomet propheta & Imperator Turcarum; affirmat Philippus II. Rex Hispaniarum, affirmant Duces Guisenses. Antiochus coegit Iudaeos, ut sacrificia, holocausta, sabbatha & alia festa, legemq; Mosaicam relinquerent, & cultum Ethnicum idololatri-cum assumerent, inobedientes bello & morte persequeretur; testes sunt libri Maccabeorum, Nebucadnezar statuam auream ad adorandum erexerat, & mortem ac bellum indicebat non obtemperantibus, propterea Sadrach, Mesag, & Abednego in furnum igneum injici curavit, Testis est Daniel, in c. 3. sui libri. Mahomet omnes, qui legi suae Alcoranae credere & se subicere volebant, suo tempore Turcis suis, igne, gladio, & bello persequendos & exterminandos proponebat, premia divina praedam & gloriam promittebat, strenue militantibus, secus facientibus poenam & vindictam DEI severam, testis est Münsterus in Cosmogr. l. 6. c. 136. Philippi milites contra Americanos ferro, igne, & canibus mordacibus usi sunt, ut eos à Barbarie ad humanitatem, ab Ethnismo & idololatri-co cultu, ad Christianam & Catholicam Religionem perdu-

perducerent, & in isto bello decem milliones hominum periisse, testis est Bartholom. de la Casa Episcop. Hispanus de persecut: Indorum.

Duces Guisenses in Gallia tempore Liga anno 1576. Ambassadors ad aulam Romanam cum hac instructione miserunt. Qu' en la race de charle maigne vivent à present des princes, recommandables par leur vertu, preparer notamment à l'effusion de leur sang, & despenses de leur moijens, pour l'aggrandissement de la dignite pontificale, & dandans tous leur conseils à la destruction des heretiques, par quoy supplient le consistoire, qu'il approuve & favorise leur desseins. Inter alia & hac fuit illorum intentio, de passer au' fil de l'espee les protestans, leur adherans & complices, tant au plat pais, qu' es villes closes. Verba sunt Jean de Sevrues in suo Inventario Gallico Anno 1576. f. mihi 379. & seq. Et addit f. 381. Ces haults & grands proiects furent escouter recevoir & favoriser à la Cour de Rome.

Principibus hisce accedit Lipsius cum suo ure & seca, qui in lib. 5. pol. c. 4. de justis causis bellum gerendi agens, dicit: Jam & invasio quaedam legitima videtur, & sine injuria, ut in barbaros & moribus ac Religione à nobis prorsus abhorrentes.

Lipso assentire videntur Windecus Jesuita, in deliberatione de hereticorum extirpation: n. 244. & 412. inquiens. Ad sectarios profligandos Catholicorum Principum liga acconsociatio requiritur. Nec negligenda occasio, quando videlicet protestantes pecuniis sunt exhausti, & obducenda causa & artes, ut à se invicem divellantur, & sectarij opprimi possint, externos adjudandos & subjugandos sectarios & cavebunt, ne hi exteriorum supplicias adsciscant.

Wilhelm Rosseus in lib. de vindict: Reip: Christian: adversus Reges impios & hereticos p. 156. Omnis Rex hereticus, inquit,

quis, simul est Tyrannus, & postea addit: subditos, debere eum regem, qui non est catholicus, armata manu deponere, aut etiam occidere. Item Mariana Jesuita: lib. 1. de Reg. c. 7. p. 67. dicit: Subditos si princeps à Romana Religione deflectat, & fiat hareticus, ab omni homagio esse solutos, & ipsis permissum principem interficere vel ferro vel veneno. Cum veneno verò minus esse periculum & majorem spem impunitatis. Fiat igitur me authore (inquit) hoc temperamento, si non ipse, qui perimitur, venenum haurire cogitur, quo concepto pereat, ut exterius ab illo adhibeatur, cum veneni tanta vis sit, ut sella eo vel vestis delibuta vim interficiendi habeat. Item Conrad. Brunus Jesuita l. 3. de Haret. c. 15. Pacta, inquit, quibus haretici pacem impetrarunt & securitatem, non valent, nec cum hareticis ulla pax esse potest.

Nec prædictis Martis filii rationes deesse videntur, dicentibus: Unus est DEUS, una fides, una Veritas, una vera Religio, à quâ qui declinant, sunt extra Ecclesiam, extra Christum, extra gratiam & pacem christianam; Imo haretici sunt, Rebelles sunt contra DEUM, Rei sunt criminis læsæ Majestatis divinæ, & sic hostes sunt DEI, & hominum, qui legibus Codicis sunt infames, banniti, & ita ab omnibus in vita corpore & bonis impunè ladi, offendi & occidi possunt. Quæ enim, ajunt, participatio justitiæ cum iniquitate? quæ Societas luci ad tenebras? quæ conventio Dei ad Belial? quæ pars fidei cum infidei? Immedicabile vulnus ense rescindendum, ne pars sincera trahatur. Accedit, si haretici in Regnis tolerantur, ecce invicem odia, diffidentiam, suspiciones, contemptum, injurias, conjurationes, factiones, seditiones, & interitum Reipub. Imò ecce interitum multarum animarum, veneno falsæ religionis infectarum, quarum rationem negligens Magistratus Deo reddere tenetur strictissimam. Quis ergo dicunt magistratus serpentem in sinu foveret? quis non multò magis cum Elia & Jehu ferrum

ferrum acueret contra sacrificulos Baalim, & populum à vero Deï cultu abhorrentem.

Verum à Martis hisce & ira filijs dissentiunt moderationes, bellum ob religionem abhorrentes. Quare ut authoritas auctoritatibus & rationes rationibus opponam; contra Antiochum, Regem Syria produco Papam Rom. Pontificem maximum, in jure suo Canonico antiquo, distinct. 45. c. 3. & 5. ubi precipitur; ne quis ad credendum vi cogatur; ne extranei à Christiana religione asperitatibus, sed blandimentis ad fidem perducantur. Non enim inviti salvandi sunt, sed volentes; non impellendi ut convertantur, sed potius liberi arbitrii facultate suadendi sunt. Et quicumq; aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consuetâ ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis quàm Dei causas probantur attendere; verba sunt dictæ distinctionis. Contra Nebucadnezarem, Regem Babylonie, produco Carolum V. Imper. Rom. & Regem Hispaniarum, qui in l. 7. & seq. proæm. constit. criminal. inquit: Nulla commodior est via, à fide Christi alienos aut in a via detapsos in viam reducendi, & ad spontaneum Dei cultum revocandi, quàm si verbo & Spiritus potentiâ hereses convincantur, errantes sanabilesq; cum mansuetudine tractentur; Minimè verò, quamvis vi, carcere, tormentis, flagris, ferro, fune, flumine, flamma ad colendum Deum, cui non nisi voluntaria mentis nostræ, & labiorum ac pectoris victima probatur à nostris iudicibus cogetur. Homicidam Spiritum Doctorem & ductorem habent, qui religionem carnificum taureis & equuleis inculcare volunt. Gentile hoc nimum est, & Decium, Diocletianum, Julianum, & similes paganos Tyrannos laudat authores, quos ferè omnes tragicus excepit exitus. Pientissimi verò Imperatores Christiani prædecessores nostri, semper abhorruerunt hanc violentam conscientiarum coactionem, quorum exempla legis vicem nobis præbent, & eorum vestigiis in-

B sistere

sistere laudis opus arbitramur. Illis autem, cum impiè sentiant, in re tanti momenti suffragari non possimus.

Omnes igitur admonentur iudices, ut à consiliis cruentis sibi temperent, neq; à malè feriatu & sanguinariis hominibus se armari patiantur, nec adversus voluntatem nostram, hic attestatam, limites officii egrediantur, manusq; suas innocenti sanguine maculent. Haëtenus Carolus Imperator. Contra Mahometh Propheetam & Imperatorem Turcarum produco Maximilianum Imper. Rom. Archiducem Austria, qui in Epistola ad Lazarum Swendum scripsit: Das Religions Sachen nicht mit dem Schwert wollen gerichtet vnd gehandelt werden/ auch kein Erbarer/ Gottsfürchtiger vnd Friedliebender anders sagen werde. Contra Philippum II. Regem Hispaniarum, produco Henricum IV. Regem Gall. dicentem: jam pridem edoctus, veram & unicam rationem populos ad cultum Dei conciliandi, pietatem stabiliendi, esse clementiam, pacem, salutaria exempla; non bellum, neq; omnium rerum promiscuam confusionem, ex quo omnium scelerum & flagitiorum propago redundat. Contra Duces Guisenses produco Henricum III. Regem Galliarum, qui in agone mortis ad proceres Regni dixit: Remetter la different de la Religion à la convocation des Estats du Royaume, & apprenez de moy, que la pietè est un devoir de l'homme envers dieu, sur lequel le bras de la chair va point de puissance. Ubi magis amicam, quàm armatam Religionis compositionem requirit; Contra Lipsium produco Besoldum, politicum insignem; qui l. 1. pol. c. 3. §. 6. inquit: Meritò tam irreformanda, quàm ab haeresibus facta tecta q; conservanda religione bellum, execramur, & illud Lipsii: Ure seca. Nec alia nisi lenia media adhibenda, qua Christus in primitiva Ecclesia usurpavit.

Semper enim mente tenendum: Christum humilitate incarnationis, ignominia passionis, & predicatione rudium & vilium piscato-

piscato-

piscatorum Regnum suum in mundum introduxisse; Ministerium non imperium constitutum esse ad introducendam conservandamque Religionem. Ministerium verò sui natura respuere coactionem. Si haereseos malum iis, quæ Christus præscripsit, remediis mutare nequit, tolerandam esse Religionum varietatem, non approbandam, ita ut à corporis & bonorum offensione liberi sint sectatores, & cultus sui peragendi facultatem habeant, modo id sine tumultu fiat; & publica tranquillitatis inquietudine. Quam tolerantiam & qua lenia media. Carolus V. Imperator, Ferdinandus Rex Romanorum, omnes Electores, & Status Imperii, tam Ecclesiastici, quam seculares, tam Catholici quam Augustanae Confessionis Anno 1555. in pace Religiosa approbârunt, & confirmârunt, uti habetur in Reichs Absch. Anno 1555. vers. Vnd damit.

ibi: So sollen die Kaysersliche Majestät/ Wir/ auch Churfürsten/ Fürsten vnd Stände des heiligen Reichs von wegen der Augspurgischen Confession, vnd deroselben Lehr/ Religion vnd Glaubens halben/ niemand mit der That gewaltiger Weise vberziehen/ beschädigen/ vergewaltigen/ oder in andere Wege wider sein Conscientz, Wissen vnd Willen von dieser Augspurgischen Confession, Religion, Glauben/ Kirchengebräuchen/ Ordnung vnd Ceremonien, so sie auffgerichtet vnd nochmals auffrichten möchten/ in ihren Fürstenthumben/ Land. vnd Herrschafften tringen/ oder durch Mandat, oder in einige ander Gestalt beschweren/ oder verachten/ sondern bey solcher Religion/ Glauben/ Kirchengebrauch/ Ordnung vnd Ceremonien; auch ihren Haab/ Gütern/ liegend vnd fahrend/ Land/ Leuten/ Herrschafften/ Obrigkeiten/ Herrlichkeiten vnd Gerechtigkeiten ruhiglich vnd friedlich bleiben lassen/ vnd sol die streitige Religion nicht anders/ dann durch Christliche/ freundliche/ friedliche Wege/ zu einhelligen Christlichen Ber-

stand vnd Vergleichung gebracht werden/ alles bey Kaysers-
lichen vnd Königlichen Würden/ Päpstlichen Ehren/wahren
Worten vnd Poen des Landfriedens.

Item vers: Es sol auch kein Stand den andern noch
desselben Unterthanen zu seiner Religion dringen. Item vers:
Vnd nach dem/ibi: Wo denn solche Vergleichung durch
die wege des general Concilii, National Versammlung/ colloquien
oder Reichshandlung nicht erfolgen würde/ sol als dann nicht
besto weniger dieser Friedstand in allen oberzehlten Puncten
vnd Articulis bey Kräfften/ bis zu endlicher Vergleichung der
Religion vnd Glaubenssachen stehen vnd bleiben/ vnd sol als
so hiemit obberürter Gestalt/ vnd sonst in alle vnd andere We-
ge ein beständiger/ beharrlicher/ vnbedingter für vnd für ewig-
währender Fried auffgerichtet vnd beschlossen seyn vnd
bleiben.

*Religio enim (ut iam rationes contra rationes producam) est
cultus divinus, qui libertatem voluntatis presupponit. Coactus
enim cultus non est cultus, coactus honos nullus honos. Et nihil
tam voluntarium est, quam religio, in qua si animus adversus est,
iam sublata, iam nulla est.*

*Quemadmodum enim intellectus cogi non potest, ut aliquid
intelligat, & voluntas cogi nequit ut aliquid velit; sic quoque fides,
cum sit voluntatis non iubendo & monendo sed docendo & svaden-
do non occidendo sed monendo; non armorum vi & suppliciis a-
qua & ignis, sed armis spiritualibus, verbi scilicet predicatione,
charitate & patientia propaganda est. Quis enim mihi imponat
necessitatem credendi, quod nolim, vel non credendi, quod velim,
inquit Lactantius. Cui accedit Cujacius, lctus. Galliarum Ca-
tholicus: Religio inquit, 10. Obs 3. imperari non potest, quia nemo
cogitur, ut credat invitus. Quare Lutherus Anno 1525. Ru-
sticis*

flicis bellum ob religionem disuadens, non suum esse consilium, di-
 xit, ut armis expugnentur Pontificij: Viribus enim & armis ni-
 hil quippiam profici. Sed alia media veram Religionem propa-
 gandi & falsam extirpandi posuit: nimirum vitæ emendationem,
 deinde preces, denique doctrinam & predicationem verbi sinceram;
 Uti Sleidanus lib. 5. de statu Relig. & Reip. testatur, Quid? Ma-
 gistratus & arma fortunis saltem, & corporibus subditorum impe-
 rant; unus verò est Rex animorum Deus, qui cum diversas reli-
 giones & hareses patiatur in mundo cur patrem nostrum cœlestem
 non imitemur? Præsertim cum Christus expressè prohibeat. & 2. a-
 nia velli, ne triticum simul eradicetur, qui pro Religione Christia-
 na Zeloso Petro dixit: Petre reconde gladium tuum; nam qui gla-
 dium sumit, per gladium peribit. Johan. 18, 11. Math. 13, 52. Un-
 de verba ubique Ecclesia non tam cuiquam Religionis causâ vim at-
 tulit, quàm pertulit, & crucem semper passa fuit. Nunquam ve-
 ro & nusquam minus quàm armis secta opprimi potuerunt; quod
 si vis & bellum hic aliquid facit hominis mortuos facit, hypocritas,
 Epicureos, Christianos, verò pios & fideles nunquam.

Unde Andreas Philopater, presbyter Romanus in Responsò
 ad edictum Anglicanum prudenter dixit; quod circa Religionem
 magis practicari debeat Gamalielis consilium Actor. 5. v, 39. &
 quod benevolentia & tolerantia res tractanda sit. Nam persecu-
 tionibus ac pressuris; tanta hominum strage ac laniena nihil profi-
 ci posse, usum satis edocuisse. Cuius opiniones & totus Senatus Pa-
 risiensis, qui cum Rex Gallia edictum de hæreticis severè perimen-
 dis ac extirpandis promulgasset, ab instituto ut desisteret, Regem se-
 riò adhortatus est; & inter alia gravissima, hac quoque ad Regem
 scripsit: Evum sibi videri; ut externarum Ecclesiarum tutio-
 ribus vestigiis insisteretur, quæ non ferro & flammis, in religione
 constituenda & propaganda, sed puriore doctrina & honestatis
 vita.

12
vix Antistitum exemplis rem confecerint. Unde Ximenius His-
panus Theologus cent. 1. Epist. Belg. 33. ita de turbis Gallicanis ad
Cassandrum scripsit: Luimus, ut mihi videtur, hâc in parte pœ-
nas stultitia nostra, quod ita sumus animati, ut dissidentes à nobis
in religione ferre non possimus, nisi simul eos extinctos esse velimus,
atq; extinguere etiam studeamus. Addimus deinde incendio ole-
um, ex causis, quæ non minus virium habent ad alendas hasce con-
tentiones, quamvis Religionis causâ tegantur. Orandus est sum-
mis precibus Deus, ut arma, quæ ipse certò non excitavit, eripere
aliqua ratione dignetur manibus imprudentium, ne dicam furen-
tium.

Audivimus jam bellatores circa Religionem, audivimus
quoq; pacificos: audivimus quaso paucis intermedios, qui ali-
quando ob religionem adhorrent, aliquando vero admittunt. Quã-
vis agrè adhorrent & improbant bellum, quod ob religionem PRO-
PAGANDAM OFFENSIVÈ geritur. Veram religionem propagare,
& falsam reformare finis quidem bonus est, bellum verò medium nō
videtur conveniens ad finem hunc benè consequendum. Bella enim
& arma homines non reformant, sed extirpant, non reddunt reli-
giosos, sed nullos, non pios, sed hypocritas & atheos. Aptum verò
medium ad fidem in animo & voluntate (in qua radicatur) pro-
pagandam, est auditus. Auditus excitatur non per arma, sed per
verba, ex verbo divino desumpta. Predicatio ergo verbi divini hic
requiritur: quomodo enim credent, si non audiverint? Melius ergò
est cum Christo mittere Apostolos in mundum, ut predicando ver-
bum, homines convertant, quàm contra Christum militet, ut de-
nunciando bellum homines interficiant; unde multum sanguinis
humani temerè effunditur, id quod gratissimum est diabolo specta-
culum, qui fuit archihomicida ab initio. Et me hercle Religio &
cultus divinus, in bello Religionis propagatorio & reformatorio sal-

teris

semprætextus videtur, Regio quaritur, non salus hominum, sed bona illorum petuntur; non proximi, sed propria causa agitur, ut Gregorius Papa. in c. 3. distinct. 45. loquitur, de illis, qui asperitate circa fidem propagandam utuntur. Sic Duces Guisenses in Gallia in consiliis suis bellicosus & sanguinolentis Anno 1576. prætendebant extirpationem Hougenottorum, tanquam hæreticorum, & amplificationem Ecclesie Catholica Romana; sed in Rei veritate extirpationem Hougonorum h. e. Regis & Regii sanguinis ab Hougone Capeto descendens, & translationem regni & regia corona ad se tanquam veros hæredes & successores Caroli Magni Regis Francorum intentabant, uti Jean de Serres Historicus Gallicus in suo Inventario benè docet. Quare Heigius Jetus Germanus improbat Religionem suam in alios per arma propagare, & errores ac hæreses in aliis vi & armis reformare & extirpare, quando part. 1. quest. 12. n. 47. & seq. inquit: Nec pro fidei Christiane incrementis adversus Sarracenos, Turcas & Judæos, nisi lacessiti fuerimus, arma expediri debemus, licet defensio semper licita & integra sit. Nemo enim cogi potest, ut credat invitus, & Religio suadendo magis, quam pugnando proficit. Vult Deus voluntarium officium, & hoc nomine passim classicū, adversus Sarracenos & Turcas cecinerunt, quod propter solam infidelitatem illos bello petendo existimârunt, quorum deinde expeditiones plena tristissimorum eventuum fuerunt.

Et hoc non saltem in extraneis intelligunt, sed etiam inter cives in uno eodemq; imperio observari volunt, sive princeps recedat, & dissentiat à Religione subditorum, sive subditi discedant, & dissentiant à religione Principis.

De priori casu dicit Dantiscanus ille Politicus 1. Pol ult. p. 527. subditi adversus principem in religione dissidentem insurgere non debent, modo non sæviant persecutionibus, suppliciis & exiliis.

Depo-

De posteriori agit d. c. ult. p. 525. Et si pius princeps dolere debet, si subditi à vera religione aberrant, & huic errori remedia quaerere & adhibere: tamen propterea in subditos sevire non debet persecutionibus, exiliis aut crudelibus suppliciis. Item pag. 5. 13. Princeps non vindicet sibi Imperium in conscientias & cogitet fidem suaderi non cogi posse; atq; iccirco dissensiones quidem Religionis omnes sedulo praecaveat, atq; avertat; Sin autem praecavere non possit, ferat, & pacem inter dissidentes servet, ut majora mala caveri possint; Bella enim sacra aliis graviora & duriora esse solent, multumque sanguinis humani temerè effunditur, & animæ hominum pereunt, quod sathanae tanquam Archihomicidae gratissimum est spectaculum, sicuti in Gallia ab Anno 1562 ad annum 1584. 140000 hominum, variis suppliciis & bellis confecta sunt. In Belgio Dux Albanus paucis annis, quibus praefuit illi bello, 15600. hominum, in utroq; sexu tum clam tum palam carnificinis sustulisse dicitur. Et in America in bello praetextu Religionis ab Hispanis ibi gesto, viginti Milliones hominum periisse, dicit idem Politicus l. 1. pol. 4. f. 124 ex testimonio Bartholomaei de la Casas. Episcop. Hisp. in lib. de persecutione Indorum, qui ipse hanc persecutionem vidit & improbavit. DEFENSIVUM verò bellum pro Religione, CONSERVANDA, & contra vim ac invasionem armatam defendendâ; facilius admittitur, maximè si illa invasio fiat ab EXTRANEO, cui invasus & propulsator nullo subjectionis jure obstrictus est; sicut Judas Maccabeus Antiocho Regi Syriae se propterea opposuit, pro lege divina & Religione defendenda pugnavit, & parva manu ingentem saepe militem superavit, ac multas victorias reportavit, uti lib. 1. Maccab. testatur. Unde Damhuderus lectus in praxi criminali c. 82. n. 21. dixit: Bellum, quod summus Pontifex vel Imperator suscepit PRO DEFENSIONE fidei Catholicae ad arcendos & jugandos Turcas, Sarracenos & similes

& similes fidei nostra inimicos aut quod contra Hæreticos suscipitur ob rectam & religiosam illam intentionem justum bellum vocatur. Cui assentit. Gail. lctus Germania celeberrimus lib. 1. de pace publ c. 4. n. 40. Bellum omnium maximè quod geritur contra infideles Turcas, perpetuos fidei Christiana hostes justum & licitum est.

Quod si ob religionem vis **A PROPRIO FIAT MAGISTRATU**, & bellum contra subditos à religione principis dissidentes moveatur, res difficilior, causa periculosior est; cautius ergo agendum. Et quidem subditis **PRIVATIS** arma omninò prohibentur, adeo ut spontaneum exilium magis eligant, quàm ut in unctum Domini ad ordinis pacisque publicæ turbationem furiosè insurgant; ubi valet consilium Christi Matth. 10. Fugite de civitate in civitatem. Qui fugere non possunt, eis melius videtur, ut quiescant, & injuriam patienter ferant, quàm arma moveant; jus enim gladij & belli non habent. Alia vero meliora sunt media, quibus privati contra impetum Magistratus sui se munire possunt; nimirum convertant se ad **DEUM**, convertant se ad **Principem** sive Magistratum ipsum, convertant se ad **INTERCESSORES**.

Erga **DEUM** peccata sua, tanquam causam mali, confiteantur, ab iis desistant, penitentiam agant, vitam emendent, & sic causam mali tollant. Deinde preces & lachrymas, quæ sunt arma Ecclesia, fundant, ut Deus animum Principis inclinet, mitiget, & ex Saulo Paulum faciat. Denique patientiâ se confortent; non desperent, sed precibus apud Deum instent, adversa interim patienter ferendo; tempus modum ac metum liberandi, Deo committendo, & in silentio ac spe redemptionem expectando. Erga **PRINCIPEM** coactionem conscientiarum in religione modestè deprecentur, & in alius obedientiam, fidelitatem & animi promptitudi-

tudinem submissè offerant, & factis sincerè exhibeant; munera
 mittant, promittant; in causis politicis & bonis mundanis gravi-
 us onus suscipiant, ut in caelestibus spiritus magis subleuetur, & li-
 bertate frui possit. Sic humilitate, modestiâ & patientiâ clementi-
 am Principis citius impetrabunt, Omnino vero sibi caveant, ne
 principi, qui est loco Dei, maledicant, ne vitæ ejus nifidientur, ne
 multitudini suæ confidant, nec arma ad impetum faciendum move-
 ant. Deniq; intercessionem implorent ab exteris principibus, qui
 Principem petant, & admoneant, ut ab ejusmodi sevitia & con-
 scientiarum carnificinâ desistat. sicuti Galli olim apud suum Regem
 intercessione Regis Danie, Principum Germania & aliorum usi fu-
 erint. Quod si primo intuitu huic modis ac mediis nihil vel pa-
 rum efficitur, repetantur aliquoties preces erga Deum, submissæ
 supplicationes erga principem, & intercessionem intercessionibus ad-
 dantur. In silentio & spe expectent, quid factururus sit Deus, qui mil-
 le novit modos, Ecclesiam suam contra vim conservandi, prote-
 gendi, liberandi. Quod si adhuc nihil efficitur, emigrent potius
 & fugiant, quàm arma capiant; si fugere non possunt, patiantur
 potius damna honorum, corporis molestias, deniq; mortem, quàm
 contra conscientiam agant, veritatem & fidem deserant; certò sta-
 tuentes, per talem mortem vitam miseram in gaudia eterna, la-
 chrymas in latitiam, Ecclesiam terrestrem & militantem in cæle-
 stem & triumphantem transmutatum iri. Huc facit, quod Char-
 ron, Theologus Catholicus & pro tempore ordinarius predicator
 Margaritæ Regina Gallia lib. 3. de la sagesse c. 16. n. 11. docuit: Si
 le soüvera in commande in deüement & cruellement, en violant les
 loix de dieu & de nature, c'est adire, contra la Religion du pais, &
 commande,ments de dieu forcans les consciences. Ence cas il ne luy
 faut pas rendre obeissance, suivant lex axiomes saincts, quil faut
 plutost obeir a dieu, qu aux hommes, & plus craindre celui, quia
 puissance

puissance sur l'homme entier, que ceux qui n' enont, que sur la-
 moindres partie. Mais aussi ne faut il pas essever contre luy par vo-
 ge de faict, qui est l'antre extremité: aius tenir la voije du milieu,
 qui est s' en fuir, ou souffrir, fugere aut pati, les deux remedes nom-
 mes, par la doctrine de verité en telles extremités. Hoc est: *So*
 die hohe Obrigkeit wider Gehühr vnd Billigkeit commandirt,
 wordurch sie die göttlichen vnd natürlichen Gesetze verlesen
 müchten / nemlich / wenn sie wider die wohthergebrachten
 Landesüblichen Religion vnd wider Gottes Wort / die Ge-
 wissen zwingen wolte / als denn muß man ihr nicht / besondern
 der heiligen Schrift folgen / welche saget / das man *DEI*
 mehr müsse gehorsamen / als dem Menschen / vnd mehr fürch-
 ten denselben / welcher ober den ganzen Menschen / als diesel-
 ben / so nun allein ober den geringsten Theil desselben Macht
 haben. Man muß sich aber auch nicht mit Thätigkeit wi-
 der sie auflehnen / welches ist das ander *extremum*, besondern
 die Mittelstrasse treffen / nemlich das man fliehe vnd leide /
fugere & pati, welche seyn zwey *Remedia* vnd Mittel / so in dies-
 sen extremiteten durch das Wort der Wahrheit Christum a 1^o
gedeutet syn / PROCERIBUS vero Regni, qui sunt interme-
dia persona inter Majestatem & subditos, & à summo Principe
potestatem ac ius gladij habent. Plus tribuitur adeò ut armis Prin-
cipis iniquis se opponere, & subditos à violentâ conscientiarum co-
actione, etiam armis liberare possint. Ut tamen arma hæc movean-
tur non ex ambitione, non spe propria utilitatis, sed ad solam Dei
gloriam & veritatis defensionem: deinde ut id fiat prudenter &
cauté, ut prius verbis, consiliis, colloquiis, argumentis, admonitio-
nibus, remonstranciis, precibus, periculi comminationibus, & aliis
senioribus remediis res tentetur, quàm arma moveantur, denique
si ad arma deveniendum, scutū potius sumant, quàm gladium, non
offensivè

offensivè sed defensivè agant, observato moderamine inculpata tutela. Et omne id faciant, non ut Principem removeant, vel opprimant, sed magis ut animum ejus mitigent, flectant, emolliant, corrigant atq; emendent, & si fieri potest, ex Saulo reddant Paulum, interdum enim ex crudelibus tyrannis progressu temporis optimi facti sunt Reges.

DECISIO harum diversarum opinionum quia accuratum requirit Judicium, singularem experientiam, piam & pacificam conscientiam, & maturam deliberationem: idcirco providentia divina hac de re certum quid statuatur, qui animos, tempora & occasiones sola novit. Ego ex l. 13. §. fin. ff. de recept. qui arbitr. spacium deliberandi peto, & mihi nondum de hac re ardua satis liquere ingenue fateor.

Ætas si maturius judicium, Deus si abundantiosem gratiam, & fortiosem spiritum conferet, accuratius hac de re dici poterit; Interim tamen prudentioribus Judicandum relinquo, numnè argumenta dissentientium hac moderatione temperari possint & debeant.

Una quidem est fides, una Religio, una Ecclesia vera: per vim tamen, & bella homines inviti tibi trahendi non sunt: Leniora & aptiora media adhibenda, nimirum prædicatio verbi, & invitatio amica, ad nuptias spontè ut veniant invitati, sicuti Christus & Apostoli fecerunt. Nec qui est extra Ecclesiam & pacem Christianam, statim est extra Remp. & pacem politicam; multi enim cives esse possunt, qui minimè sunt Christiani; & pacatè vivere possumus cum iis qui eadem sacra nobiscum habent colunt. Sic Romani olim multos Deos deasq; diversimodè coluerunt, & tamen Rempubl. habuerunt quietam, eò usq; donec Ambitio & Avaritia eam intraverint. Heretici (modo convicti) si hostes sunt spirituales; spiritualibus ergo armis excipiendi sunt, non materialibus. Et
quamvis

quamvis crimen laesa Majestatis Divinae committant, ab hominibus tamen hoc non statim vindicandum est, maxime si taceant, & in animo saltem sibi errent; cogitationis enim poenam nemo patitur, & contempta religio satis Deum ultorem habet; Nec potest quis alteri poenam inferre, qui nullam in eum Jurisdictionem habet, sicut per in parem non habet imperium, non Monarcha in monarcham. Et licet subditi à Principis Religione dissentiant, non tamen propterea statim haeretici sunt proclamandi (Christus enim dissentiebat à Religione Caesaris, haeticus tamen non erat) nec statim ferro persequendi; Audiendi potius, docendi & monendi sunt, ut ab errore, si quem fovent, desistant. Quod si flecti nequeant, & tamen pacatè vivant, tolerari possunt, donec pater luminum eos ad veritatem trahat, si eam digni sunt. Quod si ibi Turbones quidam inveniuntur qui & alios ad male sentiendum impellant, si per modum seditionis hoc faciant, cum Thoma Müntzero, Johanne Leidensi & Rauperdölling Justa mortis severitate puniri; Si verò hoc faciunt saltem docendo, scribendo & catus colligendo, & moniti nec in viam redeunt, nec quiescunt, carceribus includi, vel è civitate pelli possunt. Si verò regnum & civitas quaedam ab his ita occupata & infecta sit, ut sine armis & bellis civilibus novi illi praecones abigi nequeant, tempori cum nautis in tempestate nonnihil cedendum, praesertim cum etiam in morbis nihil magis sit periculosum, quàm immatura medicina; minus saepe malum tolerandum, ut majus evitetur, diversa religio toleranda, ut bellum civile declinetur, omnium malorum maximum; praestat aliquam habere Remp. & paucos conservare pios, quàm committere, ut omnes cum Rep. pereant. Leges de haeticorum suppliciis & exiliis pro tempore interpretatione quadam molliri & pro utilitate publica, quae est lex summa, abrogari possunt & debent. Participatio quidem nulla esse debet fideli cum infideli, ita ut fidelis approbet, defendat &

attrahat infidelis malitiam. Approbatio enim saltem prohibita, tolerantia vero permitti posse videtur. Sicuti David Rex Israelitarum habuit sub imperio suo Ethnicos, nec tamen eos vel violenter ad suam religionem coegit, vel extirpavit, vel sedibus suis pepulit; quis vero Princeps se ausit dicere magis pium Davide? Sic Papa Romanus tolerat Judæos; qui tamen Jurati sunt hostes & Christi & religionis Christiane, quis verò se ausit dicere magis sanctum Papâ. Nec obstat quod diversitas religionis in imperiis seditiones & turbas moveat.

Hoc enim fit per accidens ab iis, qui sub speciosa titulo Religionis machinationibus suum querunt commodum; vel quando Magistratus inveteratam opinionem absq; judicio & discrimine, abjectis per vim reliquis pertinacius tuetur: Et quamvis diversitas Religionis incommoda in Imperio magna sint, tamen plura & longè majora sunt mala, qua post persecutiones, bella, vastationes insequuntur. Ex duobus vero malis minus eligendum. Nec parcendum est turbonibus, qui vere authores sunt horum malorum. Quod si heretici tolerentur, & interim moriantur, & sic pereant, suâ culpâ pereunt, non magistratus, qui eos doceri & moneri curavit. Imò plures, & quidem citius periissent, si persecutionibus, suppliciis, cadibus, armis res acta fuisset. Exempla Elie & Jehu sunt specialia & singularia, qua ad consequentiam non sunt trahenda. Armis ergo Religio propagari nequit: defendi tamen armis potest uti dictum. Id quod tamen cum mica salis accipiendum. Ipsa enim fides, religio & cultus divinus qui est in animis & extrinsecus per se videri, nec gladio seculari tangi potest, armis directò defendi nequit: Exercitium tamen religionis externum, & omnia alia, qua extrinsecus ibi concurrunt, veluti homines fideles verbum predicantes & audientes, templa in quibus fiunt piorum congregationes, bona item Ecclesiastica, qua ad susten-

tati-

DISPO

The

ita,
eli-
len-
pe-
de?
tes
gis
riis

eli-
an-
mi-
di-
lu-
ati-
n.
um
&
&
se-
pla
am
en-
alis
in
est,
er-
mi-
fi-
en-
ti-

am pro
gione
ex

to-
n-
li-
nt
m-
nis
us-
-



DISPOSITIO DISCURSUS Theologico-Historico-Politicus.

<p>Spirituale Contra</p>	<p>Diabolum Mundum Carnem</p>	<p>per</p>	<p>Verbum Preces Fidem</p>	<p>Hoc bellum omnibus Christianis permissum imò commissum est.</p>	
<p>Forense five disputatori- um contra hæreticos, ar- ma hic sunt</p>	<p>Prædicatio verbi Divini Disputatio controversiarum Theologicarum in cōcilio & Cathedra. Editio librorum orthodox- orum publica.</p>	<p>Hoc bellum five eer- tamen disputatori- um institui debet</p>	<p>à Doctorib. scripturæ, ministris verbi ac do- ctis viris. Ex verbo Divino, non ex sapientia, non ex traditionibus humanis. Mansueto & modesto Spiritu, sine ira, rixa, si- ne passionibus ambitionis & avaritiæ.</p>		
<p>Castrense per arma materia- lia, bombardas & gladios. Hoc pro Rel. bellum</p>	<p>Admittunt</p>	<p>Abhorrent</p>	<p>Antiochus, Rex Syriæ. Nebucadnezar Rex Babiloniæ. Mahometh, Propheta & Imp. Turcarum. Philipp. II. Rex Hispan. Duces Guisiorum in Galliis <i>Item Politici & Theologi</i> Lipsius. V Vindecus Jesuita. V Wilhelm. Rosæus. Mariana & Contr. Brunus Jesuitæ. Papa Rom. Pontif. Maximus in Distinct. 45. jur. Can. Carolus V. Imp. Rom. & Rex Hispan. Maximil. II. Imp. & Dux Austriæ. Ferd. I Rex Rom. cum Electoribus & Heinricus III. Rex Galliarum. Heinr. IV. Rex Gall. & Navarræ. <i>Theologi & Politici.</i> Christus DEUS & homo & Sacerdos animarum, Matth. 26. v. 52. 53. Jo- han. 18, 36. Matth. 13, 52. Esaias c. 30. Gamaliel Actor, 5. v. 39. Lactantius Lutherus. Ximenius Theol. Hisp. And. Philopater Præbyter Rom. Totus Senatus Parisiensis. Cujacius & Besoldus.</p>		
<p>im pro gione ex</p>	<p>Distingunt inter bellum</p>	<p>Offensivū, quod omnino im- probatur, sive geratu</p>	<p>Defensivū quod gerit- ur pro Re- ligione cō- tra vim & invasionem armatam conservan- da. Hoc bellum</p>	<p>Interdicitur privatis qui jus armorum nō habent. Illisq; alia media subministran- tur leniora</p>	<p>Pro Religione sua propaganda. Sivè pro Religione Reforman- da & extirpanda.</p>
<p>Castrense per arma materia- lia, bombardas & gladios. Hoc pro Rel. bellum</p>	<p>Permittitur proceribus Regni, qui j9 gladii ha- beant, idq;</p>	<p>Facilius cōtra ex- traneos, uti Tur- cas, Sarracenos & similes hostes Re- ligionē infestan- tes.</p>	<p>Difficilius, contra Do- minum & superiorū Magistra- tū, ubi tra- duntur Re- gulæ pru- dentia & justicia</p>	<p>1. Erga DEUM 2. Erga Principē minantē</p>	<p>Pœnitentia & conversio Preces. Patientia. Spes & silentium. Modesta deprecatio, oblatio & Realis præsta- tio fidelitatis & obedi- entia in causis politicis promptissima. Humilitas & patientia. Intercessiones. Emigratio & fuga.</p>
<p>Castrense per arma materia- lia, bombardas & gladios. Hoc pro Rel. bellum</p>	<p>1. Ut arma hic non moveantur ex am- bitione & spe proprii lucri, sed ad solam DEI gloriam, & veritatis de- fensionem. 2. Ut prius consilio & sapientia, ac leni- oribus remediis res tentetur, quam arma moveantur. 3. Ut scutum magis sumatur, ad defen- sionem subditorum, sine principis defensione, quam gladius per Princi- pis offensionem ad subditorum de- fensionem. 4. Ut intentio sublit moderata, non ut Princeps removeatur & opprimatur, sed ut mitigetur, emolliatur, corri- gatur, & ex Saulo Paulus fiat.</p>				

a
t
t
t
p
s
e
f
f

g
d
n
v
r
o
N
m
f
m
c
E
n
d
a
a
a

nes fideles verbum predicantes & audientes, templa in quibus fi-
unt piorum congregationes, bona item Ecclesiastica, qua ad susten-
tati-



tationem ministrorum faciunt, omnia hæc contra vim armatam & injustam armis defendi possunt, modò reliqua justi belli requisita adsint, & temeritas evitetur.

Sed Nulla salus bello pacem te poscimus omnes.

O DIVINA ET HUMANA MAJESTAS.

In bello frigescit pietas, silent leges, jacet virtus, caduntur homines innocentissimi, stuprantur puella innumerabiles, evertuntur urbes, uruntur villa, fortuna civium diripiuntur, & in solitudinem omnia rediguntur. In pace vero floret religio, vivunt leges, contrahuntur matrimonia honesta, auguntur homines, ampliantur urbes, multiplicantur villa, coluntur agri, boni præmiis & mali pœnis afficiuntur. Dulce ergo nomen Pacis! Pax innumeris potior triumphis! Da pacem Domine, in diebus nostris. Nam non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster Omnipotentissimus. Et sic finio cum
DEO à quo incepti.

SOLI DEO GLORIA.



fi-
na
li-



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



5

AC



Q 7/9
C 4/100

WA



ULB Halle

3

004 850 599





DISC
 THEOLOGIC
 L
 Difficilimam &
 notata
 AN PR
 GIONE
 POSS
 B
 Pacis, justiti
 LUCIO DE
 GERAT
 E
Non in armis, nec
 ANNO

